

ipse, & uxor eius, forte durabit eius infirmitas 30. diebus, & non plus, & postea sanabitur, & præparabitur eius negociū primo mense huius diuisionis, excepto quod mulier eius amouebit filium suum si fuerit prægnans, & hoc primo mense diuisionis istius, & postmodum concipiet. Et si natiuitas fuerit nocturna, accidet ei infirmitas, mutabitur de uno statu in alium, faciet iter, lætabuntur parentes de eo, crescet doctrina, & intellectus ipsius.

Sub Alfridaria Lunæ & Veneris, natus erit in bono statu, ac bonorum morum sufferens, & suspirans pro foeliciore fortuna, uitiosus in omni uitio corporis, & omnibus negocijs suis, lætabitur de cantu & ornatu, & rebus odoriferis, & luxuriabitur in coitu cum mulieribus, associabuntur ei uiles homines, & dicent bonum de eo, accident ei in primo mense huius parttionis de seruis res de quibus lætabitur, ascendet in ualorem, & bonum.

Sub Alfridaria Lunæ & Mercurij, ascendet ad dignitatē, & perdet eam, & reuertetur in illam, & hoc erit forte tribus uicibus in hac diuisione, grandes habebit causas, mendacia, & fallitates dicet, occupatus malis moribus, & fraudibus, aut factis insidiosis, donec faciat fallitates, & fraudes societati suæ, à manibus nati tum exhibit una pars suarum facultatum, & accidet ei metus per aquam, uel ignem, & forte hoc erit in principio huius diuisionis in primis 17. diebus, & euadet ab illo, & accidet filio eius, si quem habuerit, infirmitas mala ex damnatione complexionis, uel ex melancholia. Et si natiuitas fuerit nocturna, accidet ei grauamina, uersabitur in fraudibus, ac moribus malis, accidet ei impedimentum pro aqua, uel igne, una pars suæ substantiæ ei furto surripietur.

Alfridaria Saturni.



Saturnus Alfridariæ dispositor, significat quod natus faciet facta, quæ imputabuntur ipsi ad stultitiam, & causas habebit in quibus tenebit rationes falsas, erit afflictus ratione filiorum suorum, si eos habuerit, habebit magnam tristitiam, & anxietates pro eis, plus expendet quàm lucrabitur, dissipabit peculium suum, habebit lucrum de hæreditatibus mortuorum, uel debitum faciet, occupatus in rebus antiquis, accidet ei impedimentum in suo ualore, & precio, magna infirmitate infirmabitur, de qua tristitiam, & anxietatem habebit. Et si fuerit in hoc infortunatus à Marte, damnum eius maius, & fortius erit, damnum habebit per ignem, & calores, aut percussione ferri, uel simile quiddam, & modicum ualebunt ei medicinae, & physica. Et si natiuitas fuerit nocturna, accidet ei grauamina, & tristitiæ multis modis, & diuersis, aut aliquis ex eius consanguineis morietur, habebit lucrum ab hæreditatibus mortuorum, furtim auferetur ei una pars facultatis suæ, infirmabitur forti infirmitate, faciet multa facta quæ ipsi conuertentur ad malum, & damnum, stultè faciet omnia facta sua, & pro maiori parte frustrabitur prospero rerum successu.

Tempore Alfridariæ Saturni & Iouis, ornabunt eum Reges, & eorum similes, ab eis habebit lucrum, & ab alijs hominibus transferetur de una nobilitate in aliam, inter seruos habebit multas lætitijs & gaudia, infirmabitur, iter faciet, & forte illa infirmitas & iter erunt in fine diuisionis illius: Et si natiuitas fuerit nocturna, accidet ei res de quibus habebit lucra, profectus magni ei uenient, sociabitur hominibus beneficientibus, à quibus bonum habebit, infirmabitur, & bonum habebit in alijs, forte augebitur in seruis, uel uxorem ducet, si erit aptus ad hoc.

.Ii iij

Sub